



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Locorum co[m]munium Ioannis Eckij,  
aduersus Lutheru[m] & alios hostes Ecclesiae**

**Eck, Johannes**

**Antverpiae, 1541**

2 De concilijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35599**

EIVS AVTHOTER. 171

fem. Inter veteres vide Ioannem  
Turrecrematā, latissime pro eccle-  
sia scribentem.

DE CONCILIIIS. II.

¶ Quia ecclesie autoritas plurimū  
pollet in concilijs: iusto ordine  
iam de concilijs acturi  
sumus.

**C**elebrationis cōciliorū in ec-  
clesia exēpla inueniūtur ab  
apostolis in nouo testamēto.

Surrexerunt quidam de hæreſi  
phariſæorū, qui crediderunt dicen-  
tes, quia oportet circumcidere eos, præ-  
cipere quoque ſeruare legē Moyſi.  
Conueneruntq; apoſtoli & ſeniores  
videre de verbo hoc, & infra poni-  
tur decifio. Viſum eſt ſpiritus ſancto  
& nobis, nihil vltra imponere vo-  
bis oneris, quā hęc neceſſaria, vt  
abſtineatis vos ab immolatis ſimu-  
lachrorum, & ſanguine, & ſuffoca-  
to, & fornicatione, à quibus cuſtodi-  
entes vos bene agetis. Ecce conciliū  
apo-

Act. 15

Applicat

apo-

## DE CONCILIIS.

apostolici formam. Apostoli & seniores conuenerunt. Gentes non se opposuerunt apostolis, sicut modo Luther concilijs, qua authoritate, qua scriptura id facitis? cur adimitis nobis libertatē à Christo datam? nam & si in deliberando citauerint scripturam ex Amos nono, tamen quo ad prohibitionē illorū triū, nihil induxerūt, similiter in decisione nullam adduxerunt scripturam.

Antiochia quoq; recepit conclusa Hierosolymis. Luther respuit conclusa Romæ. Patet concilium habuisse potestatem statuendi aliqua esse necessaria pro illo tempore, quæ tamen ad fidem simpliciter non essent necessaria, cur non eadem potestas esset nunc in ecclesia, quādo necessitas sepe exigit? Idem Christus, idē spiritus, eadem fides, cur non æqua cōciliorum potestas? Item aliam apostoli celebrarunt synodū. Ab inuicem enim discessuri predicaturi q̄  
euan.

euangelium per vniuersum orbem  
iuxta domini præceptum conueni-  
entes in vnum, singuliq; suas profe-  
rentes sententias, symbolū fidei tra-  
diderunt, vt ex maiorum traditione  
habetur, quod vniuersalis tenet ec-  
clesia. Sic enim beatus Clemēs disci-  
pulus & successor apostolorū in suis  
decretis testatur. Item Leo papa pri-  
mus, Aug. scribens dicit, Catholici  
symboli breuis & perfecta confes-  
sio duodecim apostolorum, totidem  
signata est sententijs. Item Amb. cla-  
uem regni cælorum deputans esse  
fidem apostolorum. Clauem inquit  
istam, arbitror, xij. artificū operatio-  
ne conflata. duodecim enim apo-  
stolorum symbolo fides sancta con-  
cepta est, qui veluti periti artifices  
in vnum cōuenientes, clauē suo con-  
cilio conflarunt. Clauem enim quā-  
dam ipsum symbolum dixerūt, per  
quod referantur diaboli tenebrę, vt  
lux Christi adueniat.

C Ne

## D. E. CONCILIIIS.

**Pro. 22** Ne transgrediaris terminos anti-  
quos, quos posuerunt patres tui.

**Mat. 18** Iterum dico vobis, quia si duo ex  
vobis consenserint super terram, de  
omni re quamcunq; petierint, fiet il-  
lis à patre meo, qui in cœlis est, vbi  
enim sunt duo, vel tres congregati  
in nomine meo, ibi sum in medio  
eorum. Nullus potest convinci eui-  
dentiùs, nō audisse ecclesiam, quàm  
si concilium non audierit. Nusquam  
maior consensus, quàm in concilio.  
Nullibi congregatur plus in nomine  
domini q̄ in concilijs generalibus.

**Iob. 6** Interroga generationē pristinam  
& diligenter inuestiga patrum me-  
moriā, hesterni quippe sumus, &  
ignoramus, quoniā vmbra dies no-  
stri super terram: ipsi docebunt te, &  
loquentur tibi, & de corde suo pro-  
ferent eloquia, in antiquis est sapien-  
tia, & in multo tempore prudentia.

**Nota** Ergo concilia audiamus & patres,  
non hæreticos nuper natos, & aposta-

tas.

tas. Tollatur conciliorum authoritas, & omnia in ecclesia erunt ambigua, dubia, pendentia, incerta, nam omnes mox redibunt hereses, conciliorum autoritate damnatae: quod si scripturis contra eos pugnabis, iam seclusa autoritate ecclesiae, rejiciet scripturam quam volent, sicut modo Luther rejicit Epistolam Sancti Iacobi, quia aduersatur sibi, similiter Machabæos &c. Et olim hæretici non acceptarunt quatuor illa Euangelia. Sicut Manichæi reiecerunt Vetus testamentum. Res miseranda profecto: Si illud hereticorum esset verum, tunc enim occurrente aliquo dubio in fide, non esset via decidendi illud, sed quilibet iuxta prudentiam capitis sui, declinaret in illam, vel aliam partem, quomodo ergo Christus sufficienter prouidisset Ecclesiae suae, per legem Euangelicam, quae tamen debet esse perfectissima? Josue. 1. Qui contradixerit ori tuo, moriatur.

C 2      Quan

## DE CONCILIIIS.

**Pfal. 77**

Quanta mandavit patribus nostris, nota ea facere filiis suis, vt cognoscat generatio altera, ergo nos credamus mandata, concilij & patribus.

**Augustin.  
dist. 12. c.**

Augustinus ad Ianua. Illa quæ nõ scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis vel plenarijs cõcilijs (quorum est in ecclesia saluberrima auctoritas) commendata atq; statuta retineri: vnde hæc, quia ita sint facienda, disputare, insolentissime infaniæ est. Lutherani ergo insolentes sunt & infani.

**Augustin.**

Augustinus libro septimo contra Donatistas, assumit sanctam ecclesiam catholicam, contra donatistas, auctoritate plenarij concilij munitam, Et libro primo capite decimo-octauo, plenarium concilium existimat consensionem totius ecclesie.

**Dist. 15**

Gregorius in rigist. Sicut sancti  
Euang

Evangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere & venerari me fateor. Nicenum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense.

¶ Propositio secunda.

Maiores ecclesie (sicut sunt in concilio) repræsentant totam ecclesiam patet primo in Exodo sæpissime, & sume exempli causa, Exodi decimo nono, quando deus voluit dare legem Moysi, præcepit ei. Hæc dices domui Jacob & annunciabis filiis Israel, & cætera. Et tamen postea de moyse dicitur. Venit moyses, & convocatis maioribus natu populi, exposuit oēs sermones, & cætera. Et licet solum seniores populi responderunt, cum quibus loquebatur Moyses, tamen subdit textus. Responditq; omnis populus simul &c. quod nõ erat omnis populus nisi repræsentatiue.

Ecclesia re  
presentati  
ua.

Interroga patrem tuum & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent ti

Deut. 32



## DE CONCILIIIS.

hi, stultus populus iam, & superbi ciues quærent Lutherum, Zuinglium Blarer, Hofandrum, Bucerum.

**Eccle. 8** Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in prouerbis eorum conuersare, ab ipsis enim discas sapientiam, & doctrinam intellectus, & seruire magnatis sine querela. Non te prætereant narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis discas intellectum & doctrinam.

¶ Obijciunt hæretici.

**Psal. 113.**

**1** In concilio sunt homines, quare fallunt sæpe, & falluntur, quum omnis homo sit mendax.

**2** Deprensus est concilium Carthaginense sub sancto viro Cypriano, cum octoginta Episcopis de rebaptizandis hæreticis errasse.

**3** Sicut concilium Ariminense plenarium D. C. Episcoporum errauit cum Arrio. Et Ephesinum secundum, cum Euticete, & Dioscoro, Et Constanti-

stantinopolitanum sub Constantino Imper. de tollendis imaginibus.

Et concilia etiam generalia vna-  
nimitur suscepta varia determina-  
runt, etiam in his quæ credenda pro-  
ponuntur, vt concilium Constanti-  
ense de primatu Papæ, contra con-  
cilium Nicænum & Africænum.

¶ Obijciunt Laici à Luthe-  
ranis male persuasi.

Quum Laici sint de ecclesia, & nõ  
minus agatur de salute animarum il-  
lorum, quàm cleri. Itaque conueniat  
eos interesse.

¶ Diluuntur obiecta. Cap. II.

**F**atemur eos qui in cõcilio con-  
ueniunt, esse hoies, at in cõcilio  
generalis legitimo reguntur du-  
ctore spiritu sancto, qui eos falli nõ  
sinit. Nam & Paulus, & Ioannes, Esa-  
ias & David fuerunt homines, adhuc  
Paulus ad Galat. inquit: Si angelus Galat.  
de cælo aliud euangelizauerit, ana-  
thema sit. Scriptores itaque canonici

C. 4 in.

## DE CONCILIIIS.

infallibiliter scripserūt, qui fuerunt homines. Sic patres in concilijs.

Concilium illud Charthaginense non fuit plenarium, sed particulare, vt ostendit Aug. contra Donatistas: particularia autem concilia poterunt errare, & reformantur per generalia. Augustinus libro secundo, contra Donatistas. Et ipsa concilia quæ per singulas regiones & prouincias fiunt, plenariorum conciliorum authoritati quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere, cum experimēto rerum aperitur.

Ariminense conciliabulum fuit, non concilium, neq; legittime congregatum. Inuito enim Liberio coactum fuit hæreticorum opera, contra concilium Nicænū. Thauro præfecto pro Arrianis, iussu Imperatoris precibus & minis instante. Et simplices episcopi occidentales fuerunt seducti fucis hæreticorum, quos postea

stea intelligentes, retractarunt conclusa Arimini. Sic & Ephesinū conciliabulum, in quo hæreticus præsedit Dioscorus, nõ fuit legitime congregatum, nolentibus legatis Papæ iniquum locum accedere, & damnatum fuit per Calcedonēse conciliū. Sic impius imperator Constantinus repugnāte pontifice conciliabulum Constantinianū collegit, quod postea Nicæno concilio secundo, sub Hierene imperatrice damnatum est, vnde & Carlostadius, Zuinglius, Hetzman, Blarer, in hoc Luthero repugnantes, damnati sunt.

Aduerte hic quod generalia concilia in spiritu sancto cōgregata, aberrasse à via veritatis nunquam deprehenduntur, potissimū in his definiendis quæ ad orthodoxam fidem, rectosq; mores attinent. Cæterum concilia hæreticorum iussu, atq; assensu conuocata, semper à fide recta aberrarunt, quale fuit istud Arimi-

C 5 nense

De imaginibus

## DE CONCILIIIS.

nense. De quo diffuse refert historia Ecclesiastica, libro decimo, capite vigesimoprimo. Tale etiam fuit concilium Mediolanense, iussu Constantij imperatoris Arriani celebratum, ad Athanasii fidei propugnatoris acerrimi condemnationem procuradam, in quo Episcopi catholici, Dionysius, Eusebius, Paulinus, Hilarius, & alij nonnulli, quia noluerunt subscribere damnationi Athanasii, in exilium sunt pulsi, vt refert historia Ecclesiastica, libro decimo, capite vigesimo. Eiusmodi quoque fuit concilium Antiochenum, sub Constantino imperatore Arriano, in cōfessu nonaginta Episcoporum celebratum, vbi Athanasius sede sua Episcopali, quam in Alexandria tenuit, eiectus est, exilioq; damnatus, vt deinde facilius Niceni concilij robur, & auctoritas sustolleretur, prævaleretq; mendacium veritati, sicut historia tripartita, libro quarto, capite nono  
latius

## DE CONCILIIIS 18

latius commemorat. Simile quoque fuit concilium postea apud Seleutiā Isauriæ coadunatum, c. & 60. Episcoporum contra Nicænam synodum, vide in historia tripartita, libro tertio, capite trigesimoquarto.

Concilia plenary, quæ mores & regimen concernunt Ecclesiasticum, pro qualitate, & conditione temporum, personarum & cætera, absq; fidei præiudicio varie determinarunt. Vnde Innocentius, iij. de consanguinitate & affinitate, capite Non debet ita dicit. Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatē temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim quum vrgens necessitas, & evidens vtilitas id exposcit. Quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutauit in nouo. Hæc ille. At concilia generalia legitima in credendis, se non destruxerunt. Sic intelligatur Augustinus.

De quarto

Priora

## DE CONCILIIIS.

Priora concilia plenaria posterioribus emendari. Concilium autem Africicum & Nicenum non aduersari Constantiensi, vide de papatu infra titulo tertio.

De quinto

Laici possunt interesse concilijs, ut testes, ut defensores, ut conciliarij, ut suggestores, ut executores, tamen à Christo nato, nunquam habuerunt vocem diffinitiuam in concilio. Act. 15. Statuerunt ut ascenderet Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad apostolos & presbyteros in Hierusalem super hac q. & quæ sequuntur. Ecce ad clerum ascenderunt non ad Laicos, & nulla fit Laicorum mentio in eodem concilio.

Act. 15

In concilio octauo, actione quarta, principes iussi interrogare, dixerunt: Ut obsecundantes verbo vestro, ex præceptione vestra interrogabimus eos, non per potestatem nostram, potestas enim hæc vestra est.

Basiliius imperator de Laicis, inquit:

## DE CONCILIIIS. 19

quit: Quamquam non sit datum istis secundum Canonem, dicendi quicquam penitus de ecclesiasticis causis, opus enim hoc pontificum est, & sacerdotum.

Zozomenes refert: Dum Valentianus per Traciam ad Romam properaret. Tunc episcopi Helesponti Bithiniæ legatū miserunt Hipatianum Heraclie præsulem, quatenus dignaretur ad emendationem dogmatis interesse. Respondit: Mihi quidem, cum minimus de populo sim,phas non est talia perscrutari. Verū sacerdotes quibus hæc cura est, apud semetipsos congregentur, vbicunque voluerint.

Ambrosius ad Valentianum contra Auxentium: Si scripturarum seriem diuinarum, vel veterum tēpora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, Episcopos solere de Christianis imperatoribus, non imperatores de episcopis iudicare?

Mar-



## DE CONCILIIIS.

Martianus  
dist. 96. c.

Martianus imperator in Calcedo-  
nensi concilio ad synodum dixit:  
Nos ad conseruandam fidem, non ad  
potentiam ostendendam, exemplo  
gloriosissimi principis Constantini,  
synodo interesse volumus, vt inuen-  
ta veritate, non vltra multitudo pra-  
uis doctrinis attracta, discordet: Et  
iterum: Sunt quaedam certa capitula  
quæ bonorum respectu, vestra refer-  
uamus sanctitati, congruum rati re-  
gulariter à vobis ista synodali dispo-  
ni consilio, potius quam nostris legi-  
bus statui.

¶ Basiliius Imp. in fine con-  
ciliij octauij.

Basiliius  
Imp.

De vobis autem Laicis, tam qui  
in dignitatibus, quam qui absolute  
conuersamini, quid amplius dicam  
non habeo, quod nullo modo no-  
bis licet de ecclesiasticis caussis ser-  
monem mouere, neque penitus resiste-  
re integritati ecclesie, & vniuersali  
synodo aduersari. Hæc enim inuesti-  
gare

gare & quærere patriarcharum, pontificum, & sacerdotum est: qui regiminis officium sortiti sunt: qui sanctificandi, qui soluendi & ligandi potestatem habent: qui ecclesiasticas & cœlestes adepti sunt clauēs. Non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari vel à ligamēto solui egemus. Quantacumq; enim religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiam si vniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, ouis vocari nō desinet, &c. Quæ ergo vobis ratio est in ordine ouium constitutis? Pastores verborum subtilitatem discutiendi, & ea quæ super nos sunt quærendi, & ambiendi habent. Oportet nos ergo cum timore & fide synccera hos audire & facies eorum vereri quum sint ministri dei omnipotētis, & huius formam possideant, & nihil amplius q̄ ea quæ nostri ordinis sunt requirere. Hinc populus remittebatur à Christo ad faciendū nō ea, quæ  
 prin

Mat. 25

## DE CONCILIIIS.

principes, reges, tetrarchæ, aut nobi-  
les dicerent, sed quæ scribæ & phari-  
sæi sedentes super cathedram Moysi  
dixerunt vobis, seruate & facite. Hæ-  
retici autem cum plausum quærant  
popularem, euenit quod Hieremias  
**Hier. 5** prædixit. Prophetæ prophetabant  
mendacium, & sacerdotes applau-  
dabant manibus, & populus meus dile-  
xit talia, quid igitur fiet in nouissi-  
mo eis? De his loquitur Dominus  
per Esaiam, filij nolentes audire le-  
gem Dei: qui dicunt videntibus, no-  
lite videre: & aspicientibus, nolite  
aspicere, nobis ea quæ recta sunt: lo-  
quimini nobis placentio, videte no-  
stros errores, auferite à me viam, decli-  
nate à me semitam, cesset à facie no-  
stra sanctus Israel. Id ipsum dicit po-  
pulus Lutheranus, iam suis falsis  
prophetis. Summa itaque est sacræ  
scripturæ, Ecclesiæ, & conciliorum  
concordia.

DE